



NY. 59. 4.



5

Q. B. E. F. F. Q. I. E. D.

PRAEMISSA AD HOS. II SEGM. XXI  
VOCABVLI ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ EXPLICATIONE  
XIV

OMNES MV SARVM PATRONOS, FAVTORES  
AMICOS

AD

ORATIONEM

DE

VIRTVTIS ET SANCTIMONIAE, CVIVS  
STVDIVM SPIRITVS SANCTVS IN HOMINIBVS  
EXCITAT, PRAESTANTIA

AB

IO. DAVIDE WERNICKE

COBVRGENSE

IUVENE IVRIS STVDIOSO ET INGENII FELICI-  
TATE, ET MORVM VRBANITATE, QVAM MAXIME LAV-  
DABILI LITERARVM, BONARVM ARTIVM, DISCI-  
PLINARVMQVE CVLTORE

FER. I. PENTECOST. MDCCLXXX

d.

HABENDAM

QVA DECET OBSERVANTIA

INVITANT

DIRECTOR

ET

PROFESSORES RELIQVI

COBVRGI, FORMIS AHLIANIS



CVI § XXIII. De Δικαιοσύνη et Gen. 19, 19 agitur.

**A**b Jul. Polluce lib. I. c. 6 segm. 52 p. 34, δικαία ἢ γῆ περὶ τὴν Φορὰν appellatur *iusta tellus in annonae*, qualis esse debet, quae laboribus agrorum respondeat, quae vero non respondet, segm. 53. p. 35 ἀδικος vocatur. Similiter canit Virgil. Georg. II, 4, 8 ff.

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
Agricolae, quibus ipsa, procul discordibus armis,  
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.*

Jul. Pollux lib. I c. 12 segm. 227 p. 136 etiam annotat: Μένανδρος δίκαιον γῆδιον καλεῖ, ὃ μὴδὲν πλέον τῆ σπέριματος ἐκφέρει. Menander rigidum agellum vocat, qui non plus seminis reddat, quam ipsi esset mandatum. Ergo δίκαιος hominem rigidum, acrem, tenacem, severum potius significare potest, quam beneficium. Ab eodem Polluce lib. II cap. 4 segm. 73 p. 189, δικαία εἰς vocatur *iustus nasus*, qualis esse debet. Hesycho etiam Lex. p. 993 edit Albert. δίκαιον explicat per ἕυλογον, ἴσον, ὁμοιον παρὰ ἰσποκράτει, cui *iusta cum reliquis partibus intercedit ratio, aequum, aequale* apud Hippocratem. Sed διασίωτος Κενταύρων ab Homero Iliad. A, 831 commemoratus, *rigidissimus acerrimusque* mihi videtur Centaurorum, qui nimia in medendo misericordia non noceret magis, quam profisset. Ab eodem Hesychio adscribente: Δικαιοσύνη, ἢ χελνίξ, μουσικῶς semodius, siue sextarius iustae mensurae, mystica Pythagoraeorum lingua, indicari videtur. Scholiastes quoque Thucydidis lib. I p. 23 B edit. Wechel. δίκαιον exponit per ἕυλογον, consentaneum, aequum. Sic *iusta* in victu feruorum, in labore et cibo bouum, et in putatione alligationeque arbutorum commemorantur a Columell. I, 8, 18. 6, 14, 4. 6, 30, 5 et II, 2, 16. Add. 10, 359.

Gen. 19, 19. καὶ ἐμεγάλυνας τὴν δικαιοσύνην σθ. Sic Graecus verba Hebraica דָּרַסָה לְהַגְבִּיל conuertit. *Atque auxi-*

§ XXIII. *De Δευσιότητι et Gen. 19, 19 agitur.* CVII

*auxisti mihi pietatis tuae paternae officia, id est, tanta est pietatis tuae paternae erga me magnitudo, quantam iure a te expectare non poteram.* Chaldaeus vterque et Syrus, qui verbis *הסדר* vel *צדק* vel *ורק* vti poterant, nomen nimis vniuersale hic adhibent *טובך* et *טיבך* *bonitatis*. Similem errorem commisit vulgatus interpres conuertens, *magnificasti misericordiam tuam*. Melius certe Augustinus Graecum ad verbum transferens: *magnificasti iustitiam tuam*. Vid. D. P. Sabatier ad h. l. Nam a Latinis praeter multa alia, pietatis etiam atque amicitiae officia *iustitiae* et *iuris* vocabulis continentur, teste Cic. Inuent. 2 c. 53, *Iustitia, inquit, est habitus animi, communi vtilitate conseruata, suam cuique tribuens dignitatem* — *Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem.* Religio est, quae superioris cuiusdam naturae (quam diuinam vocant) curam, caerimoniamque affert. Pietas, per quam sanguine coniunctis, patriaeque beneuolis, officium et diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est, per quam vis et iniuria, et omnino omne quod obfurgaturum est, defendendo, aut vlciscendo propulsatur. Obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore dignantur. Veritas est, per quam, immutata ea, quae sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Samariticus interpres retinet vocabulum *הסדר*. si gnificatione *pietatis paternae*, quam Edmundus Castellus in Lex. Heptaglotto col. 1321. annotare praetermissit. Arabs Graecum sequutus *פצח* ponit, quod nomen modo de pietate Dei paterna, Coran. 2, 63. 90. 105. 244. 252. 3, 72. 4, 31, modo de pietate coniugali adhibetur, Coran. 2, 238, edit. Maracc.

CVIII § XXIII. De δικαιοσύνη et Gen. 19, 19 agitur.

Drusius ad Gen. 19, 19 adscribit: »Magnificasti benigni-  
 tatem tuam) LXX ἐμεγάλυνες τὴν δικαιοσύνην σς, quod inter-  
 pretantur *magnificasti iustitiam tuam*. Nec aliud verba  
 Graeca sonant. Scilicet iustitiam poni pro benignitate.  
 Quod pridem a me notatum fuit. Sic dico, חסד et  
 צדקה se inuicem explicant. Vtrumque pro eleemosyna  
 sumitur interdum. Hiero. *magnificasti misericordiam tuam*.  
 חסד antiqua declaratione fere semper misericordia, i.  
 ἔλεος. Quamquam hic Graeci variant. On, et Jon. אסניתא  
 טיבותך amplificasti bonitatem tuam. Fagius reddit, *mul-  
 tiplicasti*, cum טי etiam pro magno vsurpetur. Saepius  
 tamen sig. multum. Sic alibi טיאות טובך, *magnitudo  
 bonitatis tuae*. Nam in fonte גדל הסדר i. magnitudo, am-  
 plitudo. *Quam fecisti mecum*) qua vsus es erga me. Trem.  
 חסד quam exercuisti erga me. Nomen חסד Galli reddunt  
 gratuité, quali tu dicas *gratuitas* i. gratuita benignitas, aut  
 gratuitum beneficium, quod in me contulisti. חסד be-  
 neficium etiam Mercerus interpretatur.» At si dicas  
 חסד et צדקה, vt Drusius ait, *se inuicem explicare*, id est,  
 omnes omnino communes habere significationes, inde se-  
 quetur etiam צדקה esse *mixtionem amoris paterni suae fra-  
 terni et coniugalis, siue incestum*, ac deinde scelus et flagi-  
 tium quodcumque, vt חסד Leu. 20, 17, quod nemo concedet.  
 Nomen חסד significat, vt satis notum est, *pietatem*, siue *offi-  
 cia debita* parentum vel filiorum, atque ea in re conuenit  
 cum δικαιοσύνη. Num vero inde colligere licet, ergo δικαιο-  
 σύνη est etiam *misericordia, bonitas et benignitas*? Hoc certe  
 non magis inde concludere possumus, quam חסד esse *rigo-  
 rem, iustitiam et veritatem*. Quis vnquam asseruit, quia  
 κωνωνία et δικαιοσύνη significaret *stipem pauperibus erogatam*,  
 propterea reliquas etiam significationes vocabulis illis esse  
 communes, et κωνωνίαν esse *veritatem vel integritatem*, δικαιο-  
 σύνη

§ XXIV. Δικαιοσύνη Gen. 20, 13 exponitur. CIX

σύνην autem societatem, vel communitatem. Nimirum elemo-  
 syaa in altero vocabulo consideratur vt necessaria societatis  
 humanae consequentia, in altero vt officium debitum. Apud  
 orientales igitur populos stipis erogatio est forma debiti, non  
 bonitatis vel benignitatis. Ex linguis certe populorum, de  
 rebus eorundem philosophicis posse ac debere iudicari, res  
 est notissima.

§ XXIV.

Δικαιοσύνη et δίκαιος in locis Gen. 20, 13. 21, 23 et Matth. 1, 19  
 explicatur.

Gen. 20, 13. τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις εἰς ἐμέ. Sic  
 conuerit Graecus Hebraica: זֶה חֶסֶדְךָ אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂי עִמָּדִי. Haec est pietas tua coniugalis, hoc est officium tuum debitum,  
 ut simules, quocumque veneris, me tuum esse fratrem. Codex  
 Samaritanus habet: זֶה חֶסֶדְךָ אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂי עִמָּדִי. Waltonus  
 quidem in Collatione Pentateuhi Hebraici cum Samaritico  
 annotauit in hoc legi חֶסֶדְךָ sed in ipsis Bibliis Polyglottis  
 mater illa, quae dicitur, lectionis non reperitur. In trans-  
 latione autem Samaritica חֶסֶדְךָ legitur, id quod errori oc-  
 casionem dedisse videtur. Chaldaeus vterque habet שִׁבּוֹתֶיךָ  
 et Syrus שִׁבּוֹתָא ponit. Arabs, vt supra, فَعْلُكَ adhi-  
 bet. Latinus eundem errorem committit transferens:  
 Hanc misericordiam facies mecum. Drusius adscripsit: "Sic  
 haec benignitas tua quam facies mecum." Hiero. Hanc mi-  
 sericordiam facies mecum. Nam חֶסֶד antiqua declaratione  
 misericordia. LXX. τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις εἰς ἐμέ  
 quod interpretantur, hanc iustitiam facies erga me. Scili-  
 cet in Ebraismo iustitiam aliquando pro liberalitate inueniri.  
 Quod pridem docui et exemplis probaui. Consulantur li-  
 belli mei. On. et Jon. דָּא שִׁבּוֹתֶיךָ רָא haec bonitas tua, id est,  
 interprete Fagio, beneficentia tua. Quidam eleganter bene-  
 ficium tuum. Scias autem דָּא (non רָא) "in Jon. desti-  
 dera-

"derari. *Benignitas tua* q. d. hoc beneficii loco ducam.  
 "Nam חסד beneficium." At mox mutat mentem Dru-  
 sius addens: "Licet etiam vertere, *sit haec pietas tua*. Si-  
 "quidem חסד pius i. ὄσιος. Sic ubi legimus in vulgata  
 "nostra, *miserencordiam volo*, et in aliis editionibus, *benigni-  
 "tatem volo*, posses legere, *pietatem volo*. Sunt etiam qui  
 "exponant, *hanc gratiam facies mihi*. Quod sumtum ex  
 "lingua Chaldaica, ubi gratia קרן חסד dicitur. Gallica  
 "edit. *C'est ici la gratuité que tu me feras.*" Pietate recte  
 transfertur δικαιοσύνη, quae longe differat a liberalitate et be-  
 nignitate, et cum *debitis* congruat officiis.

Gen. 21, 23. Ἄλλα κατὰ τὴν δικαιοσύνην, ἣν ἐποίησα με-  
 τὰ σέ, ποιήσεις μετ' ἐμέ. Eadem vero integritate siue integra  
 amicitia, qua usus sum erga te, uteris erga me. Sic Graecus  
 transtulit Hebraica: כחסד אשר עשיתי עמך תעשה עמדי.  
 Quia amicorum etiam est *iustitia*, pietas et gratia, idem voca-  
 bulum hic quoque potest adhiberi. In Samaritano codice  
 כחסד reperitur, quod annotatum est a Waltono. Chaldaeus  
 vterque et Syrus שיכוחא ponunt. Samaritica translatio כטבה  
 habet. Arabs minus recte per אחשן beneficium expli-  
 cat. Isaacides adscribit: "Nam dixi tibi, Gen. 20, 15: ecce  
 "terrae meae tibi patent." *Miserencordiae* notionem hic re-  
 cte improbat Varablus adscribens: " *Miserencordiam facere*  
 "cum aliquo Hebraeis significat *clementer et benigne eum tra-*  
 "ctare, neque enim supplex venit Abimelech, ut Abrahae  
 "miserencordiam impleret: quin potius sibi ius regium  
 "vendicat."

Matth. 1, 19: Ἰωσήφ δὲ ὁ ἀνὴρ ἀντὴς, δίκαιος ὢν κ. τ. λ.  
 Iosephus igitur sponsus Mariae, qui aequus atque innocens  
 esset, atque hanc infamare nollet, decrevit clam eam dimittere.  
 Δίκαιος non severus solum rigidi iuris est sectator atque inter-  
 pres, sed idiomate etiam Hebraeorum homo aequus atque in-  
 nocens.



*nocens.* Stagiritis ergo Ethic. V c. 14 extrem. optimus esse potest huius loci explicator. Iosephus noluit nimis feuerus esse iuris interpres ad nocendum, sed libenter remisit, etiamsi legem, Deut. 22, 20. 21, haberet adiutricem: Maluit vero aequus esse atque innocens, poterat enim Maria innocens esse vel ex lege Deut. 22, 25. 26. 27 proposita, reapse etiam, quamuis longe alia ratione, eadem Maria erat innocens. Sic apud Iosephum Antiqu. Jud. 6 cap. 2 p. 171 C edit. Col. *δικαιος* est aequus, integer, sanctus atque innocens officiorum debitorum obseruator, et *δικαιοσύνη* aequitas atque innocentia, quae ibidem Aminadabo Leuitae tribuitur Cariathiarimi habitanti, apud quem arca Jehouae diuertit.

§ XXV.

Deut. 24, 13 explicatur.

*Eleemosynae* quidem significatus iam in lingua Aramaea atque Arabica vocabulis צרק, צרקה, זרקא, זרקתא est tributus, ac propterea satis est antiquus, sed num in libris Mo-  
 sis reperiatur, de ea re dubitari certe potest. Alia enim ratione locum, quem hanc ob causam allegant, interpretari licet. Hic legitur Deut. 24, 12. 13: *Si homo aegrotus fuerit, ne cubes cum pignore eius. Omnino reddes ei pignus occidente sole, ut cubet sub veste sua et benedicat tibi, nam tibi erit innocentiae coram Jehouah Deo tuo.* Samaritanus codex in paucis discedit, segmento enim 12. בעביתו legitur. Segmento 13. autem Samaritanum codicem habere בשמלתו Waltonus annotare praetermisit. Chaldaeus vterque, et Samariticus interpres ונו ponunt, quod Samariticum vocabulum in Lexico Heptaglotto col. 1047 omisit Edmund. Castellus. Graecus habet ἐλεημοσύνη, ex ingenio Judaico. Vulgatus conuertit: *Et habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.* Augustinus praeoptat: *Et tibi erit misericordia,* atque Ambrosius et co-  
 dex

dex Vatic. *Et erit in te misericordia*, teste Petr. Sabatier ad h. l. Syrus vocabulum ipsum וְדִיקוֹתָא retinet. Arabs habet וְדִיקוֹתָא *bonum opus*. Isaacides ad segmentum 12 adscripsit: *Ne cubes, ut pignus eius sit apud te*. Isaacides ob oculos habuisse videtur codicem Pocockianum translationis Arabicae, cuius lectionem illi, quam Polyglotta Anglicana habent, antepono. Idem ad verba segmenti 13. *occidente sole*, adiecit, *si sit vestis nocturna, sed si sit vestis diurna, eam reddas tempore matutino, quod iam scripserat Moses in hisce praeceptis Exod. 22, 25, donec occidat sol ei reddas eam, interdiu eam illi reddas, sed occidente sole eam repetas*. Assensit ergo, ni fallor, Isaacides Arabi in segmento 12 per vocabulum Hebraicum עֵי עַי non *hominem pauperem* sed צַעֲפָא *aegrotum* intelligendum esse credenti, praesertim quum Arabs in segmento 14, vocabula Hebraica iuxta se posita עַי וְאִיִּין per עֵי אוּ מַסְכִּין *aegrotum aut pauperem* exprimat, quam ipsum vocabulum מַסְכִּין quo vterque Chaldaeus et Syrus utuntur, etiam *hominem debilem* possit significare, id quod ex Coniug. V. radice סָכַן apud Arabas apparet. Samariticum etiam verbum מַלְבֵּט quod Hebraico עַי fere semper respondet, potest hominem significare *aegrotum*. Itaque Saadia certe et Isaacide auctoribus, Exod. 22, 25, de hominibus bene valentibus et veste diurna, nostro autem in loco, de hominibus aegrotis sermo est, et veste nocturna, ut ergo non eadem lex, quam Exod. 22, 25 legimus, repetatur, sed eidem potius hic aliquid adiciatur supplementi.

Fd 6020 II

(2)

ULB Halle

3

003 772 209




FA-906

VMA

Wt





5

Q. B. F. F. Q. I. E. D.

PRÆMISSA AD HOS. II SEGM. XXI  
VOCABVLI ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ EXPLICATIONE  
XIV

OMNES MVSARVM PATRONOS, FAVTORES  
AMICOS

AD

# ORATIONEM

DE

VIRTVTIS ET SANCTIMONIAE, CVIVS  
STVDIVM SPIRITVS SANCTVS IN HOMINIBVS  
EXCITAT, PRAESTANTIA

AB

IO. DAVIDE WERNICKE

COBVRGENSE

IUVENE IVRIS STUDIOSO ET INGENII FELICI-  
TATE, ET MORVM VRBANITATE, QVAM MAXIME LAV-  
DABILI LITERARVM, BONARVM ARTIVM, DISCI-  
PLINARVMQVE CVLTORE

FER. I. PENTECOST. MDCCLXXX

HABENDAM

QVA DECET OBSERVANTIA

INVITANT

## DIRECTOR

ET

## PROFESSORES RELIQVI

COBVRGI, FORMIS AHLIANIS

d.

